

Vc
3596



h



h. 2, 77

Vc
3596

AD
JUSTA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DNO.

JOHANNI GEORGIO I,
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC

MONTIUM DUCI, SACRI ROMANI IMPERII

ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, LANDGRA-

VIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQ;

LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI,

COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG, DOMINO IN RA-

VENSTEIN, DOMINO (heu quondam!) NOSTRO

CLEMENTISSIMO

Sanctissima recordatione colendo

Elevationis 2. Febr. & exequiarum 4. Febr. die

ab Academia

Solvenda

RECTOR

ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Utriusque Reipublicæ Patres Conscriptos

invitat.





Vod intra seculi dimidiati

ferè spacium & hominis ætatem (quotus quisque enim quinquagesimū ætatis annū curis & sollicitudinibus exulcerati seculi maceratus hodie prætervehitur?) ex hoc loco nō visū, prætereuntium obtutui videndum, & lachrymis rigandum sistimus, **exequiarum Electoralium intimationem.** Hoc nimirum restabāt ancipiti Germaniæ statui, ut **Columna Imperii præcipua** (. quam laudem à Cælare Majestate jam ante viginti annos scriptis publicis tulerat.) **Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus JOHANNES GEORGIUS, Saxonix, Julix, Clivix, ac Montium Dux, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ & utriusque Lusatix, Burggravius Magdeburgensis, Comes de Marca & Ravensburg, Dominus in Ravenstein, Dux & Elector noster** (. heu quondam; .) **clementissimus, jam post fata desideratissimus, Sanctissima recordatione posteritati semper colendus,** eidem placidissimā vitæ cum morte, vel potius mortis hujus cum vitæ sempiternæ commutatione subduceretur. Post assertum Imperium bello tricennali concussum, post Sareptulam nostram halcyoniis quadantenus refocillatam res utriusque melius habituras sperassemus, sed dum circa utriusque Horizontem cœlum in atram nubem cogitur horribilem tempestatem (. quod tamen omen DEUS averruncet .) daturum, **Oraculum & dextra manus Imperii, religionis orthodoxæ Hyperaspistes, CONSTANTINUS & THEODOSIUS alter, portus hætenus miserorum, asylum propter religionem afflictorum, Collegii septemviralis** (. nunc Octoviralis.) **Senior & Nestor Germanicæ nationis suo ex humanis abitu spem istam decollare facit.** Utut prædictionibus Astrologicis, lubrico fundamento nixis (. quam ob causam in Ephemeridibus suis annuis Astronomica & Astrologica limitibus accuratis aliæ distinguunt Nationes) parū aliàs fidei habendum, qui tamen circa vestibulum superioris anni metus ex iisdem invaserat plures de ruitura Imperii columna, jam ipso (. proh dolor! .) eventu autumnno superioris anni adulto completus deprehenditur. **Hæc itaque lucernâ in tenebris extinctâ, quid aliud nobis persuaserimus, quàm divinam Majestatem** peccatis nostris enormibus & quotidie magis magisq; cumulatis enormiter læsam de *πανελευθερία* nostra consilium iniisse non nisi seriâ pœnitentiâ intervertendum. Ad frugem nos recipientes ô maturè precibus indefessis, ceu manu factâ, **divinam Majestatem** ambiamus, & ut calamitates impendentes avertat, inprimis hæc mundi vesperâ verbi sui salvifici lucem *κατὰ χιασμόν* confligentibus agitari cœptam inter nos ne patiatur extinguere, gemitibus, quibus capiendis mentium nostrarum esse possunt angustix, exposcamus! Verū cū proximo Nonarum Februarii, currentis septimanæ feriâ quartâ **exuviæ illustres Mausoleo gentilitio ab HEINRICO pio consecrato sint inferendæ, Serenissimum, jam Beatissimum, patriæ P A T R E M** in tribus hierarchiis, quâ Principalis officii consideratione vivus Ipse delectabatur, docente Symbolo non uno, videbimus. Quamquam autem factis suis, quàm verbis nostris, majorum suorum exemplo commendari malit **Ipsius Serenitas,** & ne forsan ex ore dicentium laudes tanti herois evadant fordidæ, verendum, bonum tamen, cujus hoc obitu fecimus jacturam, altiùs ex privatione considerandum sistere pius intendit affectus, nec forsan omninò culpandus.

Telam hanc *ὀμηρικῶς* ab Hierarchia domestica ordientes, cū dignitas Majorum in familiis Regum & Principum paginam, quod dicitur, utramque facere soleat, à **Majoribus laudatissimis Serenissimi nostri Electoris** auspicabimur. An detur in Europa familia quæ cum WITTEKINDEA paria faciat, vel palmam eidem intervertat, quantum quidem testis temporum nobis suggerere potest, ambigimus. Hujus res gestas legisse, totius humani generis res gestas propemodum esse cognovisse. Si terminum in ipso duntaxat

taxat WITTEKINDO, Saxonum Rege, CAROLI M. cōstante fixerimus, bone
 Deus, in quot ramos illustres hæc stirps regia per duos Filios WIGBERTUM & WIT-
 TEKINDUM juniorem se diffudit. Ex WIGBERTO natu majore prodierunt, qui
 tanta cum Majestate Imperii gubernacula tenuerunt, Imperatores HEINRICUS auceps,
 OTTO I cognomento Magnus, OTTO II, OTTO III, mirabilia mundi dictus (cui
 Germanica Natio Imperii debet axioma.) HEINRICUS Sanctus, tot Bavariæ Duces, Saxonix
 Marchiones super Imperii dignitate concertantes, quorum quidē licet stemma defecerit, ad-
 huc tamen in Serenissimis Daniæ Regibus ex eodem WIGBERTO per CHRISTIA-
 NUM I Comitem de Oldenburg & Delmenhorst ortum ducentibus in hunc usq; diem,
 continuatur. Ex WITTEKINDO Juniore Serenissimi Gallix Reges per HUGONEM Cape-
 tū, Seren. Sax. Duces & Electores per FRIDERICUM Bellicosum, Sabaudix Duces (de Im-
 peratoribus quibusdam Græcis per lineam maternam, Ducibus Montisferratensibus &c.
 nihil dicemus impræsentiarū) originem huc usq; trahunt. Quod si ultra WITTEKINDUM
 Saxonum Regem progredi vellemus, facem nobis prælucentibus ARTARICO Sax. Rege,
 ANSENRICO Sax. Duce, ARIOVISTI à JULIO CÆSARE victi συγχρόνω, HEN-
 GISTO ex Saxonum Duce Britannix Rege, aliisq; in historiarum monumentis eminenti-
 bus, longè ultra Christianam Epocham Serenissimi nostri Majores extendere pos-
 semus. Esto autem: WITTEKINDI Junioris posteris ad tempus ditioni limi-
 tibus angustioribus circumscriptæ jus dixerint, ex quo tamen Marchionatus Misniæ
 beneficio Imperatoris HEINRICI IV delatus fuit ad THIMONEM, ditiones
 & dignitates ampliores posteris, Serenissimi nostri Majores, accumularunt, ita ut
 HEINRICUS Illustris Misniæ Thuringiam, FRIDERICUS Bellicosus
 cum titulo Ducis & Electoris Saxoniam superiorem, jam circulum Electoralem dictam,
 ALBERTUS jus ad Juliacensem, Clivensem & Montium Ducatum, AUGUSTUS
 partem Variscix & post obitum GEORGII FRIDERICI, Principis optimi, Comitatus princi-
 palis Hennebergici, Serenissimus & Beatissimus noster cū quatuor præfecturis in-
 signibus, Lusatiæ utramq; superiorē & inferiorē prioribus adjecerint. Ut Majores pro-
 ximos Ipsius Serenitatis laudatissimos & quidem in linea paterna FRIDERI-
 CUM Bellicosum, FRIDERICUM placidum, ALBERTUM Imperii dextram, HEIN-
 RICUM Pium, AUGUSTUM & CHRISTIANUM I. Sax. Duces & Electores, ut conti-
 nuâ serie se insequuntur; ex Materna FRIDERICUM, ALBERTUM Achillem Ger-
 manicum, JOHANNEM, JOACHIMUM I, JOACHIMUM II & JOHANNEM GE-
 ORGIUM, Electores Brandenburgicos omnes pluribus hic adducamus, non est, cū in luce
 ac memoria totius Orbis Christiani vivant; ad ipsum potius in hanc vitam ingressum
 Serenitatis ipsius nos conferemus.

Quod itaq; felix faustumque esse voluit Imperio & Orbi Christiano Deus ter O.M. Pa-
 rentibus omni laude majoribus, Serenissimo ac Potentissimo Sax. Electore
 CHRISTIANO I, & Illustrissima Principe SOPHIA Serenissimi
 Electoris Brandenburgici JOHANNIS GEORGII Filia sanctissimæ re-
 cordationis Serenissimus noster Elector anno supra millesimum, quingentesi-
 mum octogesimo quinto, tertio Nonarum Martii, horâ Decimâ post meridiem in lucem fuit
 editus, cujus per baptismi lavacrū regenerationi uterq; Elector Dominus Avus, &
 Domina Avia regia stirpe fata testes interfuerunt, Avi materni J O-
 HANNIS GEORGII caro nomine libro vitæ inscriptus. Ingenium
 quod res præclare gestæ docuerunt, & eventus, ad maxima natum, in primis ἀρχινοίας stupen-
 dam & memoriam exteris etiam ad mirabilem, nec non ad omne virtutum principalium ge-
 nus ὀργανήσια ingentia divinitus acceperat. Intra sexennium quidem à nativitate proximum
 Domini Parentis, Avi & Avix jacturam fecerat: Inde factum ut educationis cura
 Domine matri pietissimæ & ὀργοδοξοτάτη sub tutela Principum Illustris-
 simorum Domini FRIDERICI VVILHELMI ProElecto-
 ris Saxonix & Domini JOHANNIS GEORGII Electo-
 ris Brandenburgensis incumberet. Succollavit Ipsa oneri, quantumvis admodum
 juvenis anno ætatis decimo quarto Serenissimi Electoris CHRISTIANI I,
 tum temporis dignitatis Electoralis hæredis jugalis, & circa tempus obitus Ipsius Celsitu-
 dinis

dinis anno ætatis suæ vigesimo tertio septenæ prolis facta Parens, & feliciter oneri succollavit. Ut enim tenerius complexa fuerat **Serenissimum nostrum**: ita tenerioris hujus affectus indicia in accurata **Serenitatis ipsius** educatione voluit elucescere. Præterquam enim quòd precibus ardentissimis hunc **Filium suum secundo-genitum DEO** quotidie commendaret, verâ pietate, religione orthodoxâ & literarum initiis ἐξ οὐχῶν ἀπιλάων imbuï curavit. Fructus educationis hujus per omnem vitam Solstitiali Solis radio clarius eminuerunt, cum non tantum in orthodoxa religione instar Marpesiæ rupis constantissimus permanerit, sed & cum vitæ ac fortunarum discrimine jam positus in acie novacula patrocinium illius susceperit. Annum ætatis agens decimum septimum iter in Italiam, Venetias & Romam versus adornavit, prius tamen **Serenissimæ Matris** jussu per **ESAIAM à BRANDENSTEIN** Consiliarium intimum admonitus, ne vel latû, quod dicitur, unguem à semel agnita veritate salvifica cederet, sed Idolomaniam Pontificiam ex animo detestaretur. Anno itaque currentis seculi primo, decimo sexto Cal. Februarii **ESAIAS à BRANDENSTEIN** Wilstrosium pergit, ad quem sequenti die **Serenissimus & Beatissimus noster Elector** unâ cum Viris Nobilissimis **RUDOLPHO à Vitzthum & CHRISTOPHORO RUDOLPHO** aus dem Winckel Dresdâ egressus accedit. Eula pago prope Nossen superato, die decimo tertio Cal. Febr. cum comitibus incognitus Rochlitium venit, & ibidem pernoctavit. Salfeldiæ tandem nono Cal. Febr. **GEORGIUS à NISWITZ** se comitem itineris addidit. Pabebergam quinto, Norimbergam, umbilicum Germaniæ, tertio Calendarum Februarii, Augustam Vindelicorum (à Vindæ & Lici confluyente dictorum) tertio Nonarum Februarii venit. Cum ita perlustrandis Germaniæ urbibus, imprimis Imperialibus temporis aliquid dedisset, per Alpes Reticas in Italiam descendit. Venetiis divitibus, Româ olim sanctâ, Florentiâ pulchrâ, Mediolano grandis & aliis Italiæ urbibus oculis & animo gnaviter usurpatis, cû fatis ancipiti morbo colluctari cœpit in Insubria, ex quo tamen per DEI gratiam & operam fidelem **Illustrissimi Sabaudia Ducis Archiatri** convaleuit. Ex hoc itinere, cum in perlustranda Italia fermè consumisset annum, salvus & incolumis quinto Iduum Februarii anno 1602. summo cum gaudio & congratulatione tum **Illustrissimæ Matris**, tum **Serenissimi Fratris CHRISTIANI II** jam **Electoris** Dresdam rediit. Ut Mediolani, sic brevi post nono Cal. Julii pridie **JOHANNIS** Baptistæ divinæ providentiæ specimen ipsius **Serenitati** fuit exhibitum. luculentissimum, cum **Princeps Optimus Fratri Serenissimo CHRISTIANO II** comes in Albi fluvio nave veheretur, & pulvis tormentarius per incuriam ibidem incenderetur. De utriusq; Salute fuisset conclamatum, nisi Θεός ἀπὸ μηχανῆς intervenisset & alterum pedem in cymba Charontis (qualis videbatur ista navis) habentes periculo vitæ exemisset. Nuptias primas cum **Principe Illustrissima Domina SIBYLLA ELISABETHA**, Celsissimi Principis ac Domini, Domini **FRIDERICI** Ducis **VVürtembergici** &c. nec non **Generosissimæ Principis ac Domina, Domina SIBYLLÆ**, Ducis **Anhaltinæ** filia decimo sexto Cal. Octobris anno 1605 Dresdæ celebravit. Laudem hanc **Inclyta Princeps Sponsa** coram Legatis Saxonis à **Parentibus Illustribus** tulit, quòd per omne vitæ suæ tempus ab **Eadem** non fuerint offensi. Vix ultra quadrantem anni protractus fuit hic jucundissimæ copulæ nodus, cû πνεστῶ infestata **Princeps Optima** die decimo tertio Cal. Februarii anno 1606. acerbâ διχοτομία res humanas & spes **Conjugis exoptatissimi** destitueret. Ad secunda igitur vota transiit **Princeps Illustrissimus** & anno 1607, 16. to Calendarum Augusti Pragâ redux, ubi **Serenissimo Fratri Electori** Comes apud **Cæsaream Majestatem RUDOLPHUM II** de maximi momenti negociis egerat, cum **Illustrissima Principe ac Domina, Domina MAGDALENA SIBYLLA** Celsissimi Principis ac Domini, Domini **ALBERTI FRIDERICI** Marchionis **Brandenburgici** Ducis **Borussiæ** filia; in historicis verò decantatissimi Principis, **literatorum Patroni Opt. Max.**

LU-

LUTHERI & MELANCHTHONIS scriptis ita celebrati ALBERTI March.
 Brand. Borussiae ducis & Magistri Teutonici Nepte, principe Principi
 Optima exemplari & inter Germanas sine pari, Argeliae solennes nuptias tanto
 Pari dignas celebravit. Quod priori defuerat matrimonio, in secundo ad seculi dimidi-
 spacium producto, & conjugalis amoris pignoribus carissimis obfignato, abunde satis fuit re-
 sartum. Sed sobolem principalem, Saxonicae domus & Imperii columnas, paucis & littus
 quasi legendo videamus. In vitae ac mortis quidem interliminio constituta **Serenissima**
Parens filiolum, priusquam nasceretur, denatum decimoquinto Cal. Augusti anno 1608.
 enitebatur. Licet autem initia se dederint difficiliora, felicioribus tamen & facillioribus par-
 tibus haec prima jactura fuit compensata. Sequentibus enim annis **Filiabus** duabus
Principibus duarum domuum Illustrium (ut jamjam dicemus) fulcimentis huc usque
 superstibus DN. SOPHIA ELEONORA & DN. MARIA ELISABETHA, illa
 quidem nono Cal. Decembr. anno 1609, hac decimo Cal. dicti mensis anno 1610, in lucem
 edita **Serenissimum** **Conjugem** fecit Parentem. Nec stirps defecit mascula, sed Fi-
 liis sex ordine non admodum interrupto sibi succedentibus, lumina & columina Electorali
 domui Saxonicae accesserunt. Primus quidem quarto Nonarum Martii anno 1612 natus
 DN. CHRISTIANUS ALBERTUS ab utroque **Avo** paterno & Materno id nomi-
 nis consecutus quadrimestri non multo major ingenti cum Parentum Illustrium
 cordolio Sytes hujus mundi praeternavigavit. Verum enim vero longavitate Filiorum
 Principum non sine solatio subditorum cum familiis adhuc auctioribus huc usque; (o utinam in
 annos Nestoreos!) superstium & hujus Phosphori orientis occasus repentinus fuit refartus.
 Paternum enim nomen desiderabatur, quod sidere felici vidit dies mensis Maji ultimus anno
 1613, cum **Serenissimus** ac **Potentissimus Princeps** ac **Dominus, Dominus**
JOHANNES GEORGIUS II. Sax. Juliae, Cliviae ac Montium Dux, tum tem-
 poris secundum aureae bullae tenorem Electoratus haeres votis omnium expetitus, jam vero
 post obitum **Celsissimi Domini Parentis Imperii Romano-Germanici Archi-**
Marschallus & Elector, Burggravius Magdeburgicus &c. Dominus &
 Nutritius noster clementissimus veluti Sol oriens serenum jubar, calorem, futuram, blan-
 dum regimē & felicissima quaeque ditionibus hisce spondens super Horizontē vite fuit enisus.
 Hūc anno proximo 1614. Idibus Augusti **Reverendissimus** ac **Sereniss.** princeps
 ac **Dominus, Dominus AUGUSTUS, Saxoniae, Juliae, Cliviae ac**
Montium Dux, postulatus Archipraesulatus Magdeburgensis Admi-
 nistrator, Germaniae Primas; biennio post anno 1615, sexto Calendarum Novem-
 bris **Serenissimus & Celsissimus Princeps** ac **Dominus, Dominus CHRI-**
STIANUS Saxon. Juliae, Cliviae ac Montium Dux &c. fuit infecutus. In-
 tervenit regia **Princeps, Domina MAGDALENA SIBYLLA** die decimo
 Calendarum Januarii, anno 1617 nata duobus matrimoniis tanta Principe dignis felici-
 ter (ut dicemus amplius) elocata, **Serenissimo Domino Parenti** non sine spe Do-
 mus Saxonicae ingenti superstes. **Fratribus** inclytis **Serenissimus** ac **Celsissimus**
Princeps ac **Dominus, Dominus MAURITIUS, Saxoniae, Juliae, Cliviae**
ac Montium Dux &c. decimoquinto Calendarum Aprilis anno 1619. bonis avibus
 accessit. Denarium clausit **Illustrissimus Princeps** ac **Dominus, Dominus**
HEINRICUS, quinto Calendarum Julii anno 1622. in lucem editus, qui tamen nondum
 bimestris rebus humanis vale dixit. Eant jam invidi, lividi religionis purioris hostes, Do-
 mus Saxonicae ruinam vel spe vanā praecipiant, vel votis inanibus exoptent: iis per DEI
 gratiam fulcris superstructa est, ut in aeternum vix commoveri queat. Quot domus illu-
 stres, quot domuum Illustrium principales lineae, ex quo penes Germanos fuit axioma Imperii,
 praesertim interregni magni temporibus penitus interciderunt? haec Domus ita protulit
 fimbrias, ut in Europa vix parem agnoscat. Quod si **Nepotes Illustris**, stabilimenta
 nova, junxerimus, ab omni ruina tutissimam praesecini dixerimus. **Sustentat hanc spem**
matri-

matrimonium Serenissimi successoris in Electorali dignitate, Potentis-
simi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS GEORGII cum Illustris-
sima Principe ac Domina, Domina MAGDALENA SIBYLLA, Marchi-
onissa Brandenburgica, Celsissimi Principis ac Domini, Domini
CHRISTIANI, Marchionis Brandenburgensis, Borussiae & Pomeraniae
Ducis &c. Filia praecellentissima, principalium virtutum speculo terfis-
simo tertio Iduum Novembris anno 1638. ad votum consummatum. Praeter Illustris-
simas Filias ex hoc Conjugio Electorali natas Filium Serenissimum Primoge-
niti Primogenitum DN. JOHANNEM GEORGIUM III. in spem & decus
Electoralis domus succrescentem, Parentes Celsissimi susceperunt. Sustainat hanc
spem matrimonium Reverendissimi & Serenissimi Principis ac Domini,
Domini AUGUSTI cum Illustrissima Principe ac Domina, Domina
ANNA MARIA Duce Megapolitana, Celsissimi Principis ac Domi-
ni, Domini ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Megapolitani, Vanda-
liae Principis &c. Filia spectatissima, principalium virtutum norma,
contractum, & nono Cal. Dec. anno 1637. consummatum, utriusque sexus prole Illustris-
sima benedictum. Sustainant hanc spem matrimonia Serenissimorum Principum
ac Dominorum, Domini CHRISTIANI & MAURITII, Sax. Juliae,
Cliviae ac Montium Ducum &c. Illius cum Illustrissima Principe ac Do-
mina, Dna. CHRISTINA, hujus cum Illustrissima quoque Principe
ac Domina, Dna. SOPHIA HEDVVIGE, Celsissimi Principis ac
Domini, Dni. PHILIPPI, Haeredis Norvvegiae, Slesvici, Holsatiae,
Stormariae & Ditmarsiae Ducis &c. Filiabus Sororibus inclytis inita, &
decimo tertio ac duodecimo Calend. Decembris anno 1650. benedictione Ecclesiastica con-
summata. Illud amoris Conjugalis non mansit *ἀναγρον*: hoc licet post spacium annum
nondum praeterlapsum fuerit solutum, per Dei tamen gratiam non ita pridem cum Illu-
strissima Principe ac Domina, Dna. DOROTHEA MARIA Celsissi-
mi Principis ac Domini, Dni. VVILHELMI, Sax. Juliae, Cliviae ac
Montium Ducis &c. filia splendidissima, Saxonicae domus stella matu-
tina fuit redintegratum. Spem posteritatis insuper non sustentarunt tantum, sed & vice-
runt matrimonia Filiarum Celsissimarum in familias regias & Ducales pro merito
translatarum. Filiam quippe natu maximam Dn. SOPHIAM ELEONO-
RAM Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dnus. GEORGIUS Hassiae
Landgravius &c. anno 1627. Calendis Aprilis; natu secundam Dn. MARIAM
ELISABETHAM Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dnus. FRIDE-
RICUS Dux Holsatiae & Slesvici &c. mense Februario, anno 1630; natu mi-
nimam Dn. MAGDALENAM SIBYLLAM Serenissimus Princeps ac
Dominus, Dnus. CHRISTIANUS V. Daniae & Norvvegiae regnorum
haeres, designatus Successor regius mense Octobri anno 1634, & post Conju-
gis hujus desideratissimi beatum discessum Celsissimus Princeps ac Do-
minus, Dnus. FRIDERICUS VVILHELMUS Sax. Juliae, Cliviae ac
Montium Dux &c. anno 1651. vergente Collaterales sibi suavissimas junxerunt. Per
haec matrimonia domus Electoralis Saxonica in varias domos Serenissimas & Il-
lustrissimas regiam Suevicam, Palatinam, Anhaltinam & alias late se diffu-
dit: Per haec & priora matrimonia Serenissimus noster felicissimae recordatio-
nis

nis Avus & Proavus effectus ultra 70. propagines ex lumbis suis egressas vidit. **O** divini fructus! florete quasi lilium & rosa plantata super rivos aquarum: fructificate & crescite in millia millium & semen vestrum possideat portas hostium suorum.

In **THORO Serenissimum** haecenus vidimus: per transfennam etiam in **FORO & CHORO** adspiciamus. Tam latus excurrere nobis hic aperitur campus, ut, si liceret *ἴππων εἰς πῶδιον*, initium facilius, quam finem essemus inventuri: sed intimationis filum secuti summa duntaxat rerum fastigia indice digito monstrabimus. Sicco hic focco praeterimus oblatas **Serenissimo** jam **Beatisimo** dignitates summas, Imperialem post obitum **RUDOLPHI II.** Electorum honorifico iudicio, & Regiam Bohemicam post Statuum inter se collisiones: latere patimur amicitiam intimam cum summis Monarchis, Imperatoribus & Regibus cultam, quod raro exemplo ab Imperatore **MATTHIA**, Rege Bohemiae **FERDINANDO**, Archiduce Austriae **MAXIMILIANO** & Cardinale **CLESELIO** junctim anno 1617. Dresdae in sede sua Electorali humanissime fuerit visitatus: quod ab Imperatoribus 4. ordine sibi succedentibus **RUDOLPHO II.** **MATTHIA**, **FERDINANDO II.** & **FERDINANDO III.** ad gubernacula Imperii jam sedente fuerit in deliciis habitus, & à quibusdam horum **PARENTIS** titulo salutatus: quod in foedus etiam cum Regibus exteris utpote **GUSTAVO ADOLPHO** magno Suecorum, Gothorum & Vandalorum **Rege** &c. assumtus: quod à **Regibus SO CER & SO CER** magnus fuerit expetitus, haec omnia, inquam, latere patimur. In toga saltem & sago quadantenus considerabimus. In toga Elector an. 1611 factus non tantum *νόμος ἐμψυχός*, id est, lex viva semper extitit, probe sciens, quod verruca in facie facilius feriat oculos, quam in pede, vel tergo, & quod

Regis ad exemplum totus formetur & orbis, sed & per Dicasteria sua Provinciale, Appellationum, Aulicum & Intimum jus omnibus maximis minimis aequilibri trutinam pensitatum dixit. Tantum abfuit, ut à **laudatissimis Majoribus** accepta prodegerit, ut etiam proferre ditionum pomœria, titulis tamen honestissimis, non in super habuerit. Nunquam oculis nostris obversabuntur Electoratus huius insignia, quin memoria **Serenitatis** Ipsius felicissima simul obversetur. Quantumvis insignia **VVITTEKINDI Saxonum Regis** ante conversionem equus niger sine franis in campo exultans libero, post Baptismum, illuminationis symbolum, equus albus una cum territoriis ad alienas migrarint familias **Brunsvicensis** & **Achi-Episc. Coloniensem**, quibus tamen à temporibus **THIMONIS**, primi ex hac familia **Marchionis Misniae**, usi fuerunt **Serenitatis Ipsius Majores**, retenta fuerunt & progressu temporis cum accedentibus novis provinciis & dignitatibus aucta.

Ut dictus **THIMO** leonem Misnicum, **HEINRICUS Illustris** leonem Thuringiacum diversicolorem, **FRIDERICUS Bellicosus** corollam rutaceam dimidiatam (quam enim capiti suo gerebat impositam **FRIDERICUS Barbarossa** Imperator fregit, & partem Electori Saxoniae sibi carissimo **BERNHARDO** ex **ALBERTI URSI** posteris oriundo dedit, futurum Saxoniae Ducum insigne) una cum ensibus evaginatim decussatim sibi superimpositis, **Electorem Praefectum Praetorio** significantibus, **ALBERTUS** Imperii dextra, leones ducatus **Juliacensis**, **Clivensis** & **Montium** indices, **AUGUSTUS** gallinam Hennebergicam *χρυσωρόκον* in haec insignia intulit: Sic **Beatisimus PATER PATRIAE** bovem Elysiu[m] Lusatiae symbolum superadjecit. Arma cedere togae probe noverat. **Ipsius Serenitas**, & eo nomine pacis consilia bellicis immani praeferebat intervallo. Nihil prius habebat **Ipsius Serenitas**, quam ut motus Bohemici gliscentes veluti favilla sub cineribus extinguerentur, quam ut pax Imperio (fidem faciente Mulhusino conventu Electorum) tempori componeretur, quam ut absque sanguinis profluvio edictum Caesareum abrogaretur, quam ut exclusis armis Suecicis Germania pristinae libertati restitueretur, ideoque in toga tantum, quoad quidem ejus integrum, spectari malebat. Verum cum inevitabilis necessitas arma extorqueret, **Ipsius Serenitati**, sago quoque terribilem Antagonistis

No 3596 A

nistis ostendere se voluit. Quare cum ideo bellum geratur, ut pax acquiratur, in motibus Bohemicis Lusatiam & Silesiam armis Cæsareæ Majestati subiciebat: Cum executio edicti Cæsarei aliter non posset interverti, bello defensivo, tot laureatis literis decantato, tentatis prius omnibus, à subditorum cervicibus jugum Ligisticum depellebat: Cum Germania suæ tranquillitati non posset restitui, pro Cæsarea Majestate & Imperio gladium Præfectus Prætorio stringebat, & ita stringebat, ut felici tandem colophone gravissimæ expeditiones omnes terminarentur.

At qualem in CHORO se præstitit **Ipsius Serenitas**? Talem certè, cujus similem ab incunabulis reformatæ doctrinæ vix viderat Ecclesia orthodoxa. Non sufficiebat, magnis impensis eò allaborasse, ut gliscentes inter Theologos controversiæ, utpote Tübingensium de statu exinanitionis Christi, Rathmanniana de verbi divini efficacia, super Pace, religiosa scriptis in lucem editis componerentur, nisi cum capitis & fortunarum periculo quoque depositum doctrinæ nobile propugnasset, suisque asseruisset. Tria certè Jubilæa in memoriam cœptæ à LUTHERO reformationis anno 1617, exhibitæ Augustanæ Confessionis anno 1630, impetratæ pacis religionis 1655, celebranda instituit, quibus suum pro religione orthodoxa Zelum Orbi Christiano testatum facere voluit. De duabus Academiis, tribus Scholis provincialibus nihil injiciemus impræsentiarum: quot Stipendiarii, quot Ecclesiarum Pastores, Ludimoderatores munificentia **Ipsius Serenitatis** quotannis exhilarantur? Quot Orphani & Viduæ Ministrorum Ecclesiæ, quot Exules **Ipsius Serenitatis** liberalitate recreantur? Exulum certè, quibus in territorio suo domicilia præbebat, & tributa remittebat, erat asylum, miserorum & propter religionem afflictorum intercessionibus, largitionibus, institutis collectis certissimum perfugium. Curam inprimis pro Ecclesiis & Scholis Protosynedrium illustre, & in duabus Academiis Consistoria florentissima Sole meridiano clarius ostendunt. Ut CHRISTVM itaque vitæ suæ scopum cum JOVINIANO Imperatore fixerat: Sic tandem gloriosissimâ vitâ functus septuagenario major ferè sesquiennio JESUM suum brachio fidei & caritatis amplexus octavo Id. Oct: circa quintam pomer. animam sanctissimam in manus illius deposuit.

Tanta certè sunt hæc beneficia, quibus tres hierarchias sibi devinxit **Ipsius Serenitas**, ut gratia nulla par esse queat. Nos gratitudinis aliquam tesseram tantorum beneficiorum deprædicatione patiemur extare, dum exequiarum die pridie Non. Febr. in templo Academico per Virum Admodum Reverendum, Magnificum & Amplissimum DN.D. JOHANNEM HULSEMANNUM Professore Theologum celeberrimum & de Ecclesia CHRISTI meritissimum, elevationis vero die, ipso festo purificationis 4to Non. Febr. in acroaterio Collegii majoris per Virum Excellentissimum & Clarissimum Dn M. FRIDERICUM RAPPOLDUM Poet. Prof. publicum nominatissimum iusta subjectissimo studio solvemus. Ut itaque, finitis sacris matutinis, in sacello D. Nicolai utriusque Reipublicæ Academicæ & Oppidanæ Patres Conscripti comparere, suâ præsentia utrumque actum condecorare, & quàm sancta Ipsis sit tanti Principis & Benefactoris memoria tuâ *συνταξία* declarare velint, cum proluxâ studiorum nostrorum oblatione rogamus. P. P. Calendis Febr. anno M DC LVII,

LITTERIS VVITTIGAVIANIS.

otibus
dicti
prios
tran-
Præ-
iffimæ

simi-
ebat
ubin-
Pace
iculo
aa in
tionis
one
ribus
ccle-
ilara-
eni-
rabe-
nter-
rimis
oren-
pum
age-
o Id.

eni-
nefi-
mplo
IO-
e Ec-
Non.
a M.
sub-
rius-
um-
oris
ro-

ULB Halle 3
004 810 414


VDA7





h. 2, 77

Vc
3596

AD
JUSTA

SERENISS

JOHANN
SAXONIÆ,
MONTIUM DUC
ARCHIMARSCHA
VIO THURINGIA
LUSATIÆ, BU
COMITI DE M
VENSTEIN

GIO I,
IÆ AC
IMPERII

Sanctissima
Elevationis 2.

endo
die

ACAI
Utriusque R

